



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
lesv, Cvrsvs Theologicvs**

iln decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Secvndam Secvndæ, & Tertiam Partem D. Thomæ

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

XCIII. Vtrum omnis, & solus Sacerdos sit minister huius Sacramenti?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94839)

opere operato per actiones exteriores facillimæ executionis. Vnde ex hoc capite suaderi magis potest sacramentalibus eam vim nequaquam inesse. Conceditur itaque, concedere Deum potuisse absolute potestatem instituendi sacramentalia cum virtute remissiuâ venialium ex opere operato, quod attinet ad designationem, ac determinationem materiae, & ritus exterioris, iuxta dicta supra in quaestione illa, 10. quam recolere oportet. Sed negatur expediuisse, ut eandem potestatem concederet, aut concessam de facto fuisse propterea, quæ ponderata iam sunt.

Ad 4. Aquæ reipsa benedicta, & orationi in Ecclesia re ipsa consecrata, suffragantur specialiter orationes, & applicationes meritorum Ecclesiæ, quæ interueniunt in benedictione, & consecratione. Vnde, cæteris paribus, vberiora auxilia gratiæ inde promittunt, quam ex usu aquæ, & Ecclesiæ cum falsa estimatione de benedictione, & consecratione. Pij autem animorum motus dependent multo magis ex vbertate auxiliorum gratiæ, quam ex peculiari cuiusque estimatione, qualiscunque ea sit. Idem porro dicitur de similibus.

Ad 5. Vt ea omnia verissimè dicantur de aqua benedicta, & de signo Crucis, quæ dicuntur ab illis Patribus, abundè sufficiunt, pro aqua quidem benedicta orationes Ecclesiæ, quas illi diximus suffragari, pro signo verò Crucis oratio, quæ ab vnoquoque funditur in ipso actu signandi se simul cum piis vtrobique animorum motibus, qui excitantur ex vi intentionis purgandi, ac præmuniendi animam, qua intentione saltem ut plurimum exercentur eiusmodi actiones, atque ex memoria, & representatione Crucis Christi, dum sit signum Crucis in fronte, ore, & pectore. Notius est, quam ut doceri adductis testimoniis debeat, similibus laudum titulis folere commendare; atque magnificare sanctos Patres, aliosque viros pios, alias quoque operationes exteriores, mortificationis, humiliationis, charitatis in proximum, quæ inter sacramentalia à nemine numerantur, & quibus à nemine tribuitur ullus effectus ex opere operato. Nihil igitur ex eiusmodi encomiis, vteunque magnificis, ac illustribus deduci vlla probabilitate potest pro scopo præsentis, maxime cum in Euangelio retribuatur Regnum Cælorum potui aquæ frigidiæ misericorditer subministrato, quo nihil maius, aut illustrius dici potuit, & tamen ille tantus effectus à nemine censetur provenire ex opere operato, sed ex solo opere operantis. Hinc spontè apparet, quid putandum sit de vi extinctiua peccatorum, quæ prædicatur de elemosyna. Nempe eam prædicationem niti virtute meritoria elemosynæ, & non propter vim, extrinsecus sibi superadditam, remittendi peccata ex opere operato. Deinde vis extinguendi peccata, quæ attribuitur elemosynæ, perperam, & sine fundamento restringitur ad venialia, cum in textibus, qui opponuntur, aliisque similibus, permultis elemosyna contraponatur peccatis, absque ea restrictione, atque nomine peccatorum absolute prolato, potissimum intelligantur lethalia, & elemosynæ consilium principaliter ordinetur ad remedium eorum lethaliū. Demum, quod ad Sacramenta attinet, & paritatem, ex illis deriuatam ad sacramentalia, constat aliis loquendi formalis comprobari virtutem causatiuam gratiæ, & remissionis peccatorum ex opere operato, Sacramentorum propriam, ut patet ex iis, quæ superius ea de re producta sunt. Adde verba sacramentalia, aliisque operationes exteriores, quibus Sacramenta perficiuntur, seclusa Diuina institutione, eleuante illa ad agendum ex opere operato, ad nullam virtutem pertinere, idoque virtuti eorum meritoria, seu operi ope-

R. P. de Esparza Curs. Theol. Tom. I. l.

rantis adscribi minimè posse effectus, qui illis tribuuntur, sicut adscribi possunt, qui de sacramentalibus prædicantur, ut apparet ex dictis.

Ad 6. Quin sacramentalia habeant virtutem remittendi venialia ex opere operato, dantur remedia satis multa distincta à Sacramento Pœnitentiæ, de quo ibi agit Concilium; nempe cætera in primis omnia Sacramenta, quibus delentur ex opere operato; Sacramentalia deinde quibus delentur ex opere operantis, modis, & rationibus explicatis supra art. 2. & 3. operationes denique omnes virtuosa, quæ continent in se explicitè, vel saltem implicitè detestationem aliquam eorum venialium. His namque omnibus, & singulis, quæ profectò sunt bene multa, attribuit D. Thomas in dicta quaest. 87. præsertim in dicto art. 3. & cum ea communiter, & merito reliqui Theologi vim sufficientem ad delendum venialia, vel vniuersim omnia coniunctam, vel seorsim aliqua pro modo dispositionis, ac detestationis ab vnoquoque præconceptæ.

QVÆSTIO XCIII.

Vtrum omnis, & solus Sacerdos sit Minister idoneus huius Sacramenti?

VIdetur nec omnis Sacerdos, nec solus esse idoneus. 1. Quia Iacob. 5. 16. dicitur: *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem, ut saluemini.* Vbi nulla fit mentio de Sacerdote, sed sermo est de omnibus, & quibusuis indiscriminatum promiscuus. Et præterea præceptum de mutua confessione coniunctum, sub eadem formula; ac periodo, cum præcepto de oratione mutua, clarè indicat eandem esse vtriusque indifferentiam, & vniuersalitatem in quolibet, respectu cuiuslibet. Vnde D. Cyprian. lib. 2. epist. 17. *Si quis, ait, oppressus infirmitate non potuerit expectare aduentum Sacerdotis reconcilietur per Diaconum facta prius confessione.* Magister etiam in 4. distinct. 17. docet disertè, in defectum Sacerdotis, faciendam esse confessionem coram laico. Quod ipsum traditur à D. Thom. ibidem quaestione 3. art. 3. quaestiu. 2. Ergo Minister idoneus, seu absolute sufficiens, ac præcisè necessarius huius Sacramenti non est solus Sacerdos.

2. Sacramentum Pœnitentiæ est necessarium ad salutem necessitate mediæ, sicut Baptismus, ut superius dictum est. Sacramentum autem Baptismi à quolibet, siue Sacerdote, siue laico administratur validè; idque concessum, ac benignè prouisum à Deo est ob eam eius Sacramenti necessitatem, ne cui videlicet tam facile deesse posset medium simpliciter necessarium ad consecutionem vitæ æternæ, quam facile fieri potest, ut desit præsentia Sacerdotis. Ob eandem igitur rationem quilibet, siue Sacerdos, siue laicus potest ministrare validè Sacramentum Pœnitentiæ, saltem in casu vrgentis necessitatis. Creandum enim nequaquam est, nolle Deum, sua misericordia, cuius non est numerus, atque potentia, quæ est infinita, supplere idoneitatem absolute, & seclusa tali necessitatis vrgentiæ, requisitam ex parte ministri, exhibente pœnitente, quantum potest, & pertinet ad ipsum.

3. Sacerdos non approbatus non confert validè absolutionem; & is qui est approbatus cum aliqua limitatione, si prætergrediatur limites sibi præfixos nulliter absoluit, siue limitatio versetur circa personas, siue circa peccata. Vnde à casibus reservatis nulliter absoluit, qui non est superior reservante, aut non est delegatus ab eodem. Idem dicitur de appro-

SS 2 bato

bato pro vno sexu, si absoluat personas alterius sexus; nec non de Episcopo, aut Parocho absolvente extra suam Diocesim, aut Parochiam; Ergo omnis Sacerdos, est minister idoneus, aut etiam absolute sufficiens huius Sacramenti, sed ultra potestatem ordinis, indiget iurisdictione sibi concessa mediate, vel immediate à summo Pontifice. Neque enim, vel ab ipso, vel ab inferioribus aliis Prælaris possent alioquin reddi nullæ, aut omnes, aut aliquæ vllius Sacerdotis absolutiones, circa determinatas personas, aut determinata peccata; sicut nequeunt reddi nullæ consecrationes corporis, & sanguinis Christi Domini.

4. In quouis Iudice ferente legitime sententiam, & in medico spirituali adhibente medicinam requiritur scientia, probitas, atque prudentia sufficiens ad discernendam qualitatem criminum, imponendam pœnam congruentem, & adhibendam medicinam opportunam. Defunt autem in multis Sacerdotibus, Doctrina, Probitas, & Prudentia sufficientes ad fines prædictos. Ergo non omnes Sacerdotes sunt idonei, & sufficientes ministri huius Sacramenti.

Art. 1. Respondetur. Certum in primis est solos Sacerdotes esse ministros idoneos absolutionis sacramentalis, nec vllum alium, qui non sit Sacerdos, Sacramentum istud perficere valide posse pro vilo euentu; ita definiente Concilio Tridentino sess. 14. cap. 6. & clarius can. 10. atque continua Ecclesiæ traditione merito accipiente, de solis Sacerdotibus illud Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum, &c.* ut pote dictum immediate solis Sacerdotibus, exinde solis subintellectis eorum successoribus in dignitate, & ministerio sacerdotali.

Art. 2. Certum rursus est quemlibet Sacerdotem posse absolvere valide in articulo mortis, quamlibet personam à quibusvis peccatis, & censuris saltem si non adsit proprius Parochus, aut Sacerdos, qui velit fungi munere suo; ita declarante Tridentino ibidem cap. 7. saltem sub limitatione modo adiuncta, de qua controuertitur apud Auctores. Verum quia non adhibetur à Concilio expressè vlla talis limitatio, nec eadem, ex eodem, aut aliunde concluditur efficaciter; videtur reiicienda potius omnino, quod ad valorem attinet absolutionis. Eadem est vniuersalitas potestatis absolendi in quouis Sacerdote respectu quarumlibet personarum, quoad venialia, necnon quoad mortalia iam iterum confessa. Quod ex consuetudine fidelium, atque traditione est satis manifestum.

Art. 3. Certum tertio est ad valorem absolutionis, extra articulum mortis, & exceptis peccatis venialibus, nec lethalibus iterum confessis, requiri iurisdictionem ordinariam, vel delegatam, eamque esse absolute separabilem à potestate ordinis. Iurdictio porro Confessarij est auctoritas, seu potestas eius circa aliquem in foro interno; hoc est ad remittendum & retinendum peccata. Iurdictio ordinaria est, quæ conuenit ratione officij habentis etiam animarum. Delegata est, quæ legitime confertur ab eo, qui habet iurisdictionem ordinariam. Colligitur iam conclusio clarè ex Tridentino in primis in eadem sessione cap. 7. & canon. 11. Deinde ratio ordinis Hierarchi in Ecclesia Dei postulat, ut vnusquisque ordinarius habeat iurisdictionem fori etiam interioris, contentam intra limites suæ Diocesis ita ut nemo immiscere se valide possit, quoad actus iuridicos circa oves alterius, seu circa subditos pertinentes ad alium in spiritualibus, præterquam de eius consensu, ac delegatione.

Art. 4. Certum denique est, ex eodem Concilio sess. 23. cap. 15. absolutionem sacramentalem datam secularibus à Sacerdote, siue seculari, siue regulari,

nec habente Parochiale beneficium, nec approbate ab Episcopo esse nullam. Nempe alterutrum horum est præcisè necessarium ad validam administrationem huius Sacramenti, vt pote continentis in se exercitium iurisdictionis, cum necessitate peculiaris scientiæ, & probitatis in ministro, qui proinde, pro valido vsu ministerij, rationabiliter subiicitur iudicio, & auctoritati Episcopi, vel eligentis in Parochum, vel directè approbantis ad confessiones. Hoc nimirum pacto vitari possunt, & aliter vitari non possent, maxima inconuenientia, quæ sequeretur in Ecclesia Dei, si totidem in ea necessariò, ac inuitabiliter essent ministri huius Sacramenti præditi vniuersali, ac illimitata iurisdictione circa personas, & peccata, quot Sacerdotibus eidem Ecclesiæ, opus est; nec posset ab ipsa conferri ordo sacerdotalis, nisi conferendo simul vniuersalem huiusmodi iurisdictionem omnino expeditam quoad validitatem exercitij ad quod illa ordinatur.

Art. 5. Controuertitur iam, Vtrum omnes sacerdotes ex vi ordinis obtineant iurisdictionem adæquatam, & completam, & quantum est ex se, omnino sufficientem ad absolutionem sacramentalem circa quaslibet personas, & peccata, si non impediatur aliunde, aut totaliter, aut partialiter? An verò accipiant inadæquatam tantum, & incompletam iurisdictionem? An denique solam accipiant aptitudinem proximam, vt eadem iurdictio illis conferatur à summo Pontifice, aut ab inferioribus Pastoribus, Cardinalis de Lugo; & nonnulli alij censent questionem istam esse de sola voce; quandoquidem certum, ac indubitatum apud omnes est ex præmissis, absolutiones esse nullas ob defectum iurisdictionis, nisi superaddatur officium Pastorale, aut delegatio, ac approbatio, ultra ordinem, seu potestatem ordinis. Verum hi auctores, nisi omnino fallor hoc tantummodo in animo habuere, parum aut nihil interesse, quod ad praxim attinet, vtro modo resoluitur questio proposita. Quod fortassis verum est. Cæterum capacitas proxima ad recipiendam iurisdictionem distinguitur re ipsa, & non solum vocetenus, ab ipsa iurisdictione; nec minus, aut aliter distinguitur; tum iurdictio completa ab incompleta; tum impedibilitas iurisdictionis ab eiusdem auferibilitate; tum non impeditio à collatione. Quapropter questio proposita cum inter hæc extrema vertetur, est clarissime realis, & non de sola voce.

Art. 6. Dicendum autem videtur, omnes sacerdotes ex vi sui ordinis, habere potestatem sacramentaliter absolendi completam, & vniuersalem circa quaslibet personas, & quaslibet peccata; sed eandem potestatem esse nihilominus capacem exceptionis, ac limitationis inducentis nullitatem in exercitio ipsius, seu in actu secundo. Ad eum videlicet fori modum, quo is, qui inducitur in dominium rei alius temporalis, ex vi talis actus, accipit quidem potestatem completam, & vniuersalem ad contractus emptionis, & venditionis, aliosque similes, circa talem rem; sed cum capacitate exceptionis, ac limitationis apponibilis à Republica, seu à Principe, dante tutorem, aut curatorem, aliisque modis.

Art. 7. Prior pars de potestate completa, & vniuersali, ex vi ordinis suadet dupliciter. Primò, quia ordinatio sacerdotis perficitur, tanquam per formam partialem, per illud Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remisistis, &c.* Quæ verba significant potestatem eiusmodi completam, & vniuersalem, vt ex se satis patet, & ex eo colligitur præterea efficaciter, quia illis solis significauit Christus Dominus, & contulit discipulis talem potestatem. Verba autem sacramentalia operantur, quantum significant, vt dictum est supra in communi. Vnde necesse est, vt fortiantur

fortiantur eundem effectum, cum enunciantur à legitimo Christi ministro, quem sortita sunt ipso Christo Domino eadem enunciatæ; siquidem in vtroque euentu retinent eandem significationem. Deinde omnes sacerdotes habent eiusmodi potestatem omnino completam circa venialia, & circa lethalia iterum expiata per confessionem. Non autem habent ex speciali aliqua concessione Summi Pontificis, aut inferiorum aliorum Pastorum. De qua videlicet speciali concessione, quatenus seorsim superaddita ordinationi, nullum vllibi apparet vestigium. Habent igitur omnes Sacerdotes eiusmodi potestatem ex vi ordinis non impediti eatenus exceptione aliqua, aut limitatione contraria: ex vi autem ordinis; idest ex vi formæ ordinationis modo ponderatæ, nullum est discrimen potestatis quoad aliquas potius, quam alias, seu personas, seu peccata. Quia verba formæ sunt prorsus vniuersalia. Istam denique sententiam omnino præferunt verba illa Tridentini sess. 14. cap. 6. sub initium: *Dominus noster Iesus Christus, de terris ascensus ad Cælos Sacerdotes*, (vtrique quæ tales, *visi ipsius Vicariis reliquit tanquam præfides, & Indices ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in qua Christi fideles ceciderint, quo pro potestate clauium*, (quas sanè, tunc accipiunt, cum audiunt: *Accipite Spiritum sanctum, &c.*) remissionis, aut retentionis peccatorum sententiam pronuntiat.

Art. 8. Altera pars, de capacitate exceptionis, ac limitationis inducentis nullitatem in actu, apparet imprimis clarè ex duabus posterioribus assertionibus nuper prælatis ex communi consensu art. 3. & 4. ubi etiam insinuatæ sunt rationes ob quas oportuit, vt inesset supremo Ecclesiæ Pastori, & particularibus deinde aliis Episcopis, potestas excipiendi, limitandi, ac impediendi, prout expedire videretur eam ligandi, atque soluendi potestatem, quæ inferioribus Sacerdotibus ex vi sui ordinis inest. Summa ratio autem est, quam adhibet Concilium Tridentinum dicta sess. 14. cap. 7. Quòd videlicet potestas sacramentaliter absoluenti, est potestas iudicialis, & continens in se veram iurisdictionem supra eos, quibus impenditur absolutio. Necesse autem est, vt in quauis Republica bene ordinata detur subordinatione cæteriorum, qui iurisdictionem exercent, respectu supremi in illa Iudicis, & aliorum, qui ad eundem potestate, & auctoritate proximè accedunt. Necesse igitur fuit, vt D. Petro, & eius successoribus, ad quos pertinet illud Christi Domini; *Pasce oves meas*, & illud: *Tibi dabo clauis Regni Cælorum*; confertetur potestas, vti est certum ex fide, iuxta dicta ex Tridentino collatam de facto esse, ad excipiendum, tum personas, tum peccata, prout expedire videretur à potestate inferiorum Sacerdotum, inducendo nullitatem; quoad actiones iuridicas, quæ excederint limites vnicuique præfixos.

Art. 9. Potestas ad absoluentem propria sacerdotum inferiorum, prout, vel præcindit à consensu, & dissensu superiorum, vel est coniuncta cum eorundem dissensu, exceptione, seu limitatione, dicitur communiter potestas ordinis; iurisdictionis vero quatenus eam coniuncta cum eorundem superiorum, vel non impeditione, vel consensu, approbatione, & applicatione ad determinatas, seu personas, seu peccata. Quod tamen non tollit; quominus ea potestas vtriusque modo considerata, sit propriè iurisdictionalis, & essentialiter ordinata ad ius dicendum, ferendamque sententiam auctoritate propriè iudiciali. Verum, quia expediebat indere tali potestati diuersum nomen pro diuersitate status inducentis valorem, & nullitatem sententiæ; percommode appellata est potestas ordinis, quatenus est inseparabilis ab ordine, & caractere sacerdotali; iurisdictionis

verò, quatenus est expedita, & libera, ab omni impedimento, ad dicendum validè ius, & ferendam liberè sententiam circa tales determinatè, vel personas vel peccata.

Art. 10. Quapropter dicendum absolūtè est, non omnes sacerdotes habere iurisdictionem, in foro pœnitentiæ, circa omnes personas, omniæque peccata; sed solum circa eas & ea, quæ vnicuique determinatè subiiciuntur, ratione delegationis; licet potestatis ordinis omnibus ad omnia competat indifferenter modo explicato. Solus itaque Sacerdos est minister idoneus huius Sacramenti, idque indispensabiliter. Omnis item Sacerdos est idoneus eiusdem minister, sed cum subordinatione ad supremum Ecclesiæ caput, & ad alios inferiores prælatos potentes respectiue excipere, limitare, ac impedire; idque vel totaliter, vt in degradatis, aut non toleratis; vel partialiter, vt in plerisque aliis modo itidem iam dicto.

Ad 1. D. Iacobus loquitur præsupposita institutione huius Sacramenti, eiusque promulgatione, ex qua sufficienter annotesceret audientibus, seu legentibus, accipienda esse dissimiliter ratione materiæ, quæ similiter dicerentur de oratione, & confessione; itavt vtraque exhiberetur, prout exigit vtriusque natura, & institutio, iam ante manifestata per doctrinam exhortationis præambulam. Nempe in sermone exhortatorio, qualis est ille D. Iacobi, præsupponitur, & non semper distinctè traditur doctrina dogmatica, & speculatiua in qua fundatur exhortatio. D. Cyprianus non loquitur de reconciliatione absolutoria fori interni, vt apparet clarè ex contextu, sed de publica reconciliatione ad tollendum scandalum, si quidem præcessisset. Demum sententia illa magistri, & D. Thomæ est legitimè interpretanda: Intenderunt enim proculdubio illam confessionem laico factam absolūtè sacramentalem non esse, sed ad summum valere ad humiliationem pœnitentis, eiusdemque instructionem, consolationem spiritualem, & exhortationem ad actum contritionis, exhibendas per laicum deficiente Sacerdote, qui per absolutionem posset liberare à peccatis.

Ad 2. Baptismus in re est magis necessarius, quatenus nequit suppleri à paruulis per contritionem. Deinde præcipua eius materia est peccatum originale, pro cuius punitione, & medela, non est opus scientia, & prudentia Sacerdotis; sicut pro peccatis personalibus. Sola autem personalia pertinent ad Sacramentum Pœnitentiæ, atque hoc Sacramentum est supplebile, per contritionem ab omnibus qui sunt eius capaces. Ad tertium patet ex dictis ad quæstionem ab articulo 8.

Ad 4. Requiritur quidem pro licita administratione huius Sacramenti, scientia Ministri sufficiens ad discernenda lethalia à venialibus, saltem in genere, & dignoscendas species vtrorumque, saltem frequenter occurrentes, & obuias, necnon casus reservatos, & censuris obnoxios; vel certè ad dubitandum de his omnibus, vti oportet, & ad inquirendum postea. Requiritur etiam prudentia, vt minimum mediocris pro pœnitentiis præsertim medicinalibus conuenienter imponendis, vtque pœnitentem dirigere corripere, consolari, hortarique idoneè, ac vtiliter possit. Requiritur demum probitas expert, tum actualiter peccati lethalis, tum habitualiter scandalii pœnitentium. Cæterum ad validam administrationem sufficit potestas ordinis non impedita à superiori, seu iurisdictione, vt dictum est. Plura nempe requiruntur in aliis quoque materiis ad licite posse, quam ad simpliciter posse.